

SCRIPTA

Numéro Scripta : 839

Auteur(s) : Henri II, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Bayeux, Notre-Dame (cathédrale)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1165-1205]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Henri II, évêque de Bayeux, rétablit une ancienne confrérie de charité pour aider aux réparations de l'église cathédrale. Il accorde des privilèges et des indulgences à ceux qui chaque année, pendant cinq ans, donneront six deniers, pour subvenir aux besoins de la fabrique et aux travaux de l'église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XLVII, t. 1, p. 57-60.

Dissertation critique

Episcopat d'Henri II, évêque de Bayeux, 1165-1205.

Texte établi d'après a

Henricus, Dei gratia Baiocensis episcopus, abbatibus, prioribus, decanis, presbiteris, et omnibus, tam praelatis quam subditis, per episcopatum Baiocense (sic) constitutis, in Domino salutem. Inter caetera virtutum dona, singularem reputantur ad gratiam insignia caritatis : ea est quae, sicut non agit perperam, sic et operit multitudinem peccatorum ; excitatur per fidem, per devotionem crescit, per opera comprobatur. Ad hujus meritum simul et praemium, fratres karissimi, ex injuncto nobis officio, dilectionem vestram exortamur, rogantes attentius quatinus matrem vestram, Baiocensem ecclesiam, de divina retributione firma spe confidentes, filiali devotione visitetis, pariter et juvetis, et ad perficiendam ipsius fabricam, et quaedam aedificatia de novo construenda, ipsi optata, conferatis solatia caritatis. Exemplum siquidem virorum, qui prudentia et honestate praefulgent, sequentes, ad maturandam hujus operis perfectionem, fraternitatem quondam in ecclesia nostra laudabiliter institutam, sed aliquanto tempore quibusdam causis intervenientibus sopitam, innovamus, statuantes qui se huic approbandae fraternitati aggregaverint, et per singulos annos, usque ad quinquennium, sex denarios andegavenses ad hujus fabricae constructionem erogaverint, propter nullam interdicti sententiam, nisi nominatim excommunicati fuerint, ecclesiasticis priventur sacramentis. Vir siquidem, et uxor, et filii, et filiae ipsorum antequam matronium (sic) contraxerint, sepulturam ecclesiasticam campanis, dum corpus sepelietur, pulsandis habebunt. Confratres etiam missae pro defuncto celebrandae in ecclesia poterunt interesse, et eorum uxores ad purificationem recipiantur. Altero etiam conjugium (sic) decedente, superstes nichilominus, sex denarios per annum solvens, suprascriptum merebitur beneficium, Quisquis vero hanc sanctae fraternitatis societatem semel ingressus fuerit, in ea usque ad quinquennii metas sub praescripta forma permanebit. Singulorum autem confratrum nomina in suis parochialibus ecclesiis scripturae commendata servabuntur. Ad haec etiam, de misericordia Dei, et meritis beatae Mariae semper virginis,

omniumque sanctorum plene confidentes, omnibus hanc fraternitatem observantibus terciam partem pœnitentiæ quæ pro criminalibus, et medietatem ejus quæ pro venialibus ipsis injuncta est, de commissæ nobis potestatis officio, remittimus peccata quoque oblivioni tradita, necnon et ea quæ in patrem vel matrem absque manuum injectione commiserint, et fracta vota, si tamen ad ipsa sicut decet revertantur. Ad majoris præterea cumulum beneficii statuimus, ut in ecclesia vestra, et in singulis abbatiis in episcopatu nostro constitutis, unum annuale, et in singulis parochialibus ecclesiis unum septimale, cum diurnis horis, pro istorum salute confratrum, speciali devotione, singulis annis infra istud quinquennium, celebretur. Hujus autem fraternitatis oblationes universas in unaquaque parochia a duobus honestis viris, et presbitero ipsius parochiæ, colligi et custodiri præcipimus, et hiis, qui fabricæ sollicitudini præsent, in conspectu nostro et capituli nostri volumus resignari. Eos vero, qui confratrum beneficia, de mandato nostro et nostrorum voluntate nuntiorum, collegerint, sub custodia et protectione beatæ Mariæ, et nostra, sicut expedit, recipimus. Pro eisdem vero nuntiis nostris, vobis mandamus, et in virtute obedientiæ præcipimus, quatinus ipsos, cum ad vos diverterint, benigne et honorifice recipiatis, et procuracionem sibi necessariam et convenientem administretis ; subditos quoque vestros studiosius congregatos diligenter commoneatis, ut, voci exhortationis suæ libertius adquiescentes, audiant quid loquatur in me Dominus Deus.